

ORATIO TERTIÆ CLASSIS,
RECITATA à GEORGIO SIGEFRI-
DO COLER, Patric, Noriberg.



Sontemplanti mihi, Nobilissimi & Prudentissimi Domini Scholarchæ, nucem pineam in hoc numismate expressam, cum hoc lemmate: SIC TURGIDA VIRTUS, statim animum subit illud geminum planè Plautinum: Virtus omnia in se habet: omnia bona adsunt, quem penes est virtus. Præclare profectò, & ex ipso veri tripode profectum: quodq; vel ignaviam ipsam acuat. Nam quæ vulgo sterilis & infrugifera habetur virtus: eam contra in morem nucis pineæ nucleis gravidat & plenam ac confertam bonis ostendit. Hinc quibus eadem inest, nihil extra querunt magnoperè: non Cato honores, non Phocion vel Aristides divitias, non plausum popularem Socrates, non voluptates Themistocles. Sentiunt enim sibi nihil deliquum, qui in una virtute possideant omnia. Veruntamen nec iis quidem, quæ vulgo habentur bonis vacua est eadem, puta claritate, gloria, honore, divitiis, cæterisq; quæ prima ducuntur. Quid enim priscis illis heroibus cælû aperuit? Nonnè virtus? hac arte nixi sunt (ut cum Poëta loquar) domitores illi orientis Bacchus & Hercules, eorumq; æmulus Alexander Magnus, arces attigerunt igneas. Hac veteris illius Græciæ columina: Hac antiquæ Romæ decora: Hac Germanorum postea, Francorumq; specimina æternitati litârunt. Quid? quod eadem ex obscuris & vilibus claros efficit & potentes? Sic è carcere extractum